

DE CONSERVANDA

lignem præcipuè eò releuari, inquit Plini lib. 20. cap. 23. Legatur idem lib. 8. cap. 27. & lib. 19. cap. 9. Nicander sub exordium theriacorum. Non tamen ut cibo fœniculo utendū est, sed magis ut medicamine, tardius enim digeritur, prauum & exile nutrimentum præstans. Adhiberi autem aliquando solet ad corrigendam quorundam ciborum prauitatem & malitiam: quemadmodum enim lactucæ additur interdum petroselinum, ut frigiditas & humiditas eius contemperentur, ita & fœniculus nonnunquam unà cum cucurbitis, aut rapis concoquitur, ad malitiam eorum imminuendam.

DE ANISO. CAP. L.

EMendat uisum, stomachum confortat Anisum. Ecphrasis.

Hic duæ referuntur utilitates anisi. Primum est confortare uisum. Secundum uerò & stomachum. Anisum enim emundat stomachum à phlegmatibus, & calfacit. Eadem etiam ratione cōfert uisui, quia nihil æquè nocet uisui, ac immundities stomachi, quia à stomacho immundo eleuantur fumi immundi, qui oculis nocent, perturbando spiritus uisiuos, & hæc maximè præstant Anisum dulce. Præter has Auicenna 2. Canon. capit. 1. longè plures utilitates recenset. Anisum, inquit, est apertiuum, dolorum sedatiuum, uentositatum resolutiuum, abscin-